93

Kazimiri regis super summam centum marcarum Dobeslao de Kurozwanky in Krzepicze et Klobuczko inscriptio.

Kazimirus Dei gratia rex Poloniæ, Magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiaeque dominus et hæres etc. Significamus tenore præsentium quibus expedit universis. Quomodo attendentes præstantem virtutem et servitia Magnifici Dobeslai de Kurozwanki palatini Lublinensis, sincere nobis dilecti, per eum nobis fideliter exhibita, horum ob respectu volentes eum facere consolatum, et ad futura servitia nostra reddere inflammantiorem sibi de nostra benignitate, et virtute specialiq gratia nostra centum marcas pecuniarum monetæ et numeri polonicalium, quadraginta et octo grossos marcam in quamlibet computando in et super civitate nostra et castro Krzepiciensi et oppido Klobuczko villisque omnibus ad ipsa bona ex antiquo pertinentibus inscripsimus, et demonstravimus, inscribimusque et demonstramus tenore præsentium mediante, per ipsum Dobeslaum et successores ipsius bona prædicta nostra, cum omnibus et singulis censibus et pertinentijs

nentijs, alias iuxta tenorem et articulos literarum nostrarum per prius superius bona ipsa juste et legittime datarum et concessarum tenendum, habendum et possidendum pacifice, tamdiu quousque predicte centum marce, una cum alijs summis juste et legittime per nos in bonis ipsis inscriptis eidem Dobeslao et successoribus suis per nos vel successores nostros integre persolventur, quibus solutis, bonorum ipsorum possessio ad nos et successores nostros devolvi debet, juribus nostris semper et per omnia salvis. Harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Datum Cracovie feria quarta infra octavas pentecostes. Anno domini Millesimo quadringentesimo octogesimo quinto. Creslaus Cancellarius subscripsit.

Relatio Venerabilis Creslai de Kurozwanki regni Polonie Cancellarij.

Ta Kopia przepisana z Oryginału pargaminowego dnia dwudziestego drugiego Miesiąca Lutego Roku Pańskiego Tysiącznego Siedymsetnego Osimdziesiątego piątego, od którego pieczęć oderwana, sam Oryginał Zaniihilowany.